

lico idiomate consignato, Part. II. p. 37. quòd anno 1663. mense Majo in Academia ista prælectum sit Diploma regium de confirmatione & privilegiis ipsius, membranâ patentiore ita conscriptis, ut prima litera Regis imaginem scribæ calamo artificiosè expressam gestaret, ad marginem autem extarent insignia Societati à Rege concessa: videlicet *area argentea, quæ tabulam seu mensam nudam representet, aquila in summo & duo canes sagaces coronis aureis, millorum loco, colla cinctis, cum Symbolo adscripto: NULLIUS IN VERBA &c.* Quibus omnibus quidem, tanquam totidem legibus ac decretis regiis, quàm dignè se gerant in conventibus suis ejus Societatis membra, quàm nulli ibi strepitus exaudiantur, oblocutiones nullæ, altercatio nulla, nulla partium studia locum habeant, quanta dissentientium modestia mutuaq; reverentia conspiciatur (maturi certè electivæ Philosophiæ fructus illustri adeò vivoq; exemplo expressi) admirabundus narrat Anonymus quidam in enarratione itineris sui per Angliam gallicè descripta sub forma Epist. à Marquis Vobrun Nogent Gouverneur de Philippeville, &c. quam in vernaculam nostram translata Francofurtum ad Moenum, anno 1667. evulgavit.

CAP. V. ET ULTIMUM.

Ad ea

Quæ morari nonnullos possent, dubia breviter respondens.

I.

Optimum equidem, inquit aliquis, eclecticum philosophandi genus (quid enim melius, quàm ex oblatis plurimis eligere optimum?) sed unà difficillimum. Cùm enim versandum sit nunc in Academiae spatiis, nunc in ambulacris Lycæi, nunc in ποικίλῃ illa porticu à Zenone nobilitata, nunc in Gargettii senis hortis, nunc in aliorum diatribis ac peristiliis;

stiliis;